



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

91. An Facultas concessa Cardinalibus testandi intelligatur pro prima vice?
Ex part. 5. tractat. 2. resolut. 54.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76442](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76442)

decedere pro parte testatus, & pro parte intestatus, l. miles ita, ff. de milit. test. quod paganus non permittitur. Tertio circa personam hæredis instituti, quia potest institui etiam personam incapacem, vt est deportatus, l. neque, §. & deportati, ff. de milit. test. & ita docet Molfesius in sum. tom. 2. tract. 13. cap. 2. num. 59. & alij communiter. Hoc supposito negatiue responder ad propositam quæstionem. Iason in l. quamquam, C. de test. mil. qui ait ideo hoc priuilegium militibus concedi, quia simplices & ignari interpretatione iuris existimantur, quæ quidem ratio in Cardinalibus non viget: ergo, &c.

2. Sed his minime suffragantibus asserunt DD. Cardinales habere priuilegium testandi iure militari, & ita docet Albanus de Cardinal. quæst. 42. §. secundo principaliter, vbi pro hac sententia citat Baldum. Idem docet Manfredus de Cardinal. decis. 221. & Zechius de Republ. Christ. tit. 3. de Cardin. n. 9. prinil. 11. cum Gratiano in disceptat. tom. 2. cap. 3. 12. n. 11. Germonio de sacra immun. lib. 3. c. 6. n. 66. & Bagno de S. R. E. dignitatibus, tr. 11. fol. 182.

RESOL. XC.

An Cardinales testantes ex facultate Pontificis teneantur adhibere formam iuris Civilis, aut Canonici? Ex part. 5. tract. 2. Ref. 52.

§. 1. **A**D hoc dubium respondet Azorius tom. 2. lib. 5. cap. 5. 9. 7. facultatem dictam intelligi, vt testari queat seruatis, quæ Canonico iure, non civili, præscribuntur, & quia ius Canoniceum, vt patet ex cap. cum esses, & cap. relatum, de testam. solum requirit duos, aut tres testes, ideo testamentum subsistit factum à Cardinali duobus, aut tribus testibus adhibitis, quantum iure civili septem requirantur. Testamenta Cardinalium Romani Pontificis cõsensu facta iuxta Canones, non iuxta leges civiles metiri debemus. Hæc Azorius, qui malè pro contraria sententia citat Barbatiam de Card. 9. 4. n. 9. vt legenti patet, aperte docet Cardinales testantes ex facultate Papa validè testari cum formulis iuris Canonici quod etiam nouissimè docet Bagnus de dignit. Cardinalium S. R. E. tract. 11. fol. 180.

2. Non desinam tamen hic adnotare ea, quæ circa præsens dubium notat Germonius tract. de indult. Cardinal. §. quod tu Romanum. n. 22. vbi sic ait. Inanis redditur illa quæstio, an si Papa concedat Cardinali testandi facultatem, hæc facultas accipi debeat, prout ius civile disponit, aut prout Pontificium. In qua sanè controuersia mihi tempus conterere videntur interpretes nostri, quos citat & sequitur Andreas Barbatia in dicta quæst. 4. num. 7. ver. sed potest quispiam, vsque ad finem, nam si verum est, vt est vero verius, Cardinales posse de rebus propriis, patrimonialibus inquam, & ex proprio acquisitis, vel ab amicis, & affinis intuitu personæ, non æquè dignitatis relictis liberè disponere, si verum quoque est, prout est, Principem concedendo testandi facultatem alicui videri concedere, quod ille non habet, videtur Pontifex maximus Cardinali concedere, vt testari possit de acquisitis ex fructibus rerum Ecclesiasticarum, quæ sanè bona regulantur, vt nemo nescit, secundum Pontificias dispositiones, non autem Cæsareas constitutiones. Atqui iure Pontificio cautum est, vt videas in cap. cum esset, cap. relatum 1. vbi omnes notant, de test. subsistere testamentum, in quo duo tantum, vel tres fuerint adhibiti testes, cum septem iure civili esse debeant. Vnde in ea sum sententia, vt existimem facultatem testandi Cardinali

concessam, non de solemnitatibus intelligi debere, sed de dispositione bonorum, de quibus alias ipse testari non poterat, etsi idem Barbatia parum cautè post Salicetum putauerit in d. quæst. 4. num. 9. Cardinalem hac facultate habita quoad solemnitatem testamenti non teneri testes adhibere, licèt teneatur quoad probationem, quæ quidem solutio absurda non videtur in eo, qui cum liberâ habeat testamenti factionem, facultatem testandi à Principe obtinet, quia licèt tunc possit omittere solemnitates, præcipue quoad numerum testium de iure communi necessariorum, rectius tamen fecerit si propter pleniorum probationem eos adhibuerit, ne in falsitatis discrimen veniat testamentum. Hucusque Germonius.

RESOL. XCI.

An facultas concessa Cardinalibus testandi intelligatur pro prima vice? Ex part. 5. tract. 2. Ref. 53.

§. 1. **A**ffirmatiue respondet Cucchus in inst. Can. lib. 2. tit. 4. num. 90. & Zechius de Republ. Christ. tit. 3. de Card. num. 9. prinil. 8. vbi sic ait. Solet à Pontificibus Cardinalibus concedi, vt de fructibus dicitur l. ex beneficiis quæstus testari possint, quæ tamen licentia facta primo testamento extinguitur. Ita ille, qui pro sua sententia citat Decium conf. 52. & Socium iuniorem lib. 1. consl. 89. & ita licentia vt aliquis monasterium Monialium ingrediatur, vel vt ad urbem accedat, intelligenda est vt semel tantum introeat, vel in Urbem veniat.

2. Verum mihi contraria sententia placet, quam loquens in terminis de Cardinalibus docet Azorius tom. 2. lib. 4. cap. 3. quæst. 10. vbi ex multis docet facultatem testandi ad primum testamentum non expirare, non enim est idem iuris de testamento quod de aliis rebus, nam testamentum non nisi morte testatoris confirmatur, & hominis voluntas vltima non est ante mortem, vt cætera primo actu perficiuntur.

RESOL. XCII.

An licentia concessa Cardinalibus testandi expiret mortuo Pontifice, qui illam concessit? Et an Pontifex possit concedere facultatem testandi non solum in pios vsus, sed etiam in quoslibet, dummodo liciti sint, & honesti? Ex part. 5. tr. 2. Ref. 54.

§. 1. **A**ffirmatiue respondet Cucchus in inst. can. lib. 1. tit. 4. n. 90. & Zechius de Rep. Christ. tit. 3. de Cardinal. num. 9. prinil. 8. vbi sic ait. Solet à Pontificibus concedi Cardinalibus vt de fructibus ex beneficiis quæstus testari possint, quæ tamen licentia extinguitur mortuo concedente testamento non facto. Sic ille, qui citat pro hac sententia iuniorem lib. 1. conf. 89. num. 33. & ratio est, quia est facultas ad actum odiosum, & iuri communi repugnantem.

2. Sed ego contrariam sententiam teneo, quia cum testamentum vim non habeat, nisi post testantis mortem, illi, cui testandi licentia concessa est, imputari nequit concedente superflite eum testatum non fuisse, si quidem longiorem vitam adeptus est, quam is, qui facultatem concessit, & ea facultas pro tempore mortis, à quo debet testamentum vim habere, deseruit potissimum, & ita docet mutans sententiã, Couarruias in c. cum in officiis, n. 8. de testam. in 2. edit.

Gutierrez